

*mare : et flumina, quae aperta habuerunt in fine Tarviana ab hodie in annos triginta, reaperiantur.*

25. — *Equilensis vero capulare debeat in ripa S. Zenonis usque ad fossam Methamauri et Gentionis, secundum consuetudinem, omnem arborem non portantem, et vehere cum carro aut ad collum aut quantum sibi placuerit, anteposita fossa Gentionis, ubi minime praesumat introire. Et arbores non portantes infra ipsos fines designatos licentiam habeat, quantum sibi ad collum portare potuerit, lignam faciendum, non ad pectus trahendum, nec amplius per nullum capitulum arbores portantes delere; et qui prae- sumpserit arbores portantes delere, componat solidos centum, et, si aliter introire prae- sumpserit, suprascriptae subiaceat poenae. Et licentiam habeat peculia vestra in ipsos fines pascere.*

26. — *De finibus autem Civitatis novae statuimus, ut, sicut a tempore Liuthprandi regis terminatio facta est inter Paulitionem ducem et Marcellum magistrum militum, ita permanere debeat, secundum quod Aistulfus ad vos Civitatinos novos largitus est.*

27. — *Placuit autem super haec omnia, ut missi domini Lotharii imperatoris omni tempore parati sint iustitiam facere, ita ut unusquisque ex utraque parte suam pleniter recipiat iustitiam, et ipsi missi a parte domini nostri, quidquid iussum fuerit, recipient.*

28. — *Peculiarumque vestrarum partium greges pascere debeat cum securitate usque in terminum, quem posuit Paulitius dux cum Civitatinis novis, sicut in pacto legitur de Plave maiore usque in Plavem siccam, quod est terminus vel proprietas vestra.*

29. — *Caprisani vero in silva, ubi capulaverunt, in fines Foroiulianos semper faciant redditum, et eam capulent, sicut ante capulaverunt.*

30. — *Et stetit, ut de Gradensi civitate secundum antiquam consuetudinem debeat dare [redditum] et capulas facere, ubi antea fecerunt, in fines Foroiulianos, sicut antiquitus fecistis.*

31. — *Reservamus in eodem pacto ut pars parti de causis ecclesiarum et monasteriorum iustitias faciant.*